Nobilissime et Ampl.me D.ne;

Quo igne incalueris nescio. Febrilem quidem illum, quem pridem deferbuisse spero, satis certus sum ejusmodi scintillas non emittere, quales in Poëmatio nuper misso agnovi lucidissimas. At verò, praeter illas tuas in aetate jam provectula ingenij usque juveniles flammas, ignea fax amor est Patriae Patriaeque; quâ non desinis tu ardere, neque hac dictare tibi dignissimas te et Reipub. meditationes: ut ambigere liceat, potiorne civis an poëta habendus sis. Raptim hac effutio, districtus pluribus negotijs, quae incumbere soli solent, quoties exercitus in praesidia reducendus est; quod nunc agimus. Itaque cis paucos dies, quorum aliquot ego Zulichemio meo impensum eo, amplius hac exspectabor, ubi Hagae te sanum ac valentem amplecti dabitur; quod nunc animo et affectu facio, mi D.ne, penitus tibi virtutibusque tuis addicto ac devoto. Bergis ad Zomam XV. Cal. Nov. XLIV.

D. T. observantiss.us

C. Huygens

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813

Mijn Heere

Mijn Heere van Foreest,
Raedsh.r inden Hooghen Raede
in
's Graven Haghe.

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 12
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813